



**Francisci De Fargna Civitatis Plebis Patrii Philosophiæ,  
Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris ... Commentaria In  
singulos Canones De Jurepatronatus**

Qui sparsim tam intrà, quàm extra corpus Juris Canonici vagantur ...

**Fargna, Francesco de**

**Romæ, MDCCXVIII**

Casus II. Argumentum. Consensus Episcopi requisitus ad effectum  
acquirendi Juspatronatus Beneficii, quandò intervenire debeat, ex quibus  
tacitè inducatur, & an Episcopus compelli possit ad ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72203)

## ARGUMENTUM.

Consensus Episcopi requisitus ad effectum acquirendi Jurispatronatus Beneficii, quando intervenire debeat ex quibus tacite inducatur, & an Episcopus compelli possit ad consentiendum; & an præstari valeat per inferiorem.

## SUMMARIUM.

- 1 Episcopus si sit Fundator beneficii non potest auctorizare illius erectionem cum reservatione jurispatronatus.
- 2 Consensus Ordinarii requiritur non solum ad acquirendum Juspatronatus activum, verum etiam passivum.
- 3 Consensus Ordinarii quando intervenire debeat?
- 4 Episcopus pro præstatione hujusmodi consensus, non potest tamquam ex debito aliquod munus exigere à Fundatore.
- 5 An hujusmodi consensus tacite inducatur ex admissione presentationum, & ex institutionibus.
- 6 Episcopus compelli potest ad consentiendum, si absque legitima causa nolit consentire.
- 7 Prælati inferioris habens jurisdictionem quasi Episcopalem potest præstare hujusmodi consensus.
- 8 Vicarius Generalis Episcopi potest consentire reservationi jurispatronatus, si habeat speciale mandatum Episcopi.
- 9 Capitulum sede vacante, potest præstare dictum consensus.

## CASUS II.

- C**ertum est juxta primam Conclusionem, quod ad acquirendum Juspatronatus requiratur consensus Episcopi illius loci, in quo fundatur, construitur, & dotatur Ecclesia, & illius Episcopi, qui non sit Fundator Beneficii, etenim si sit Fundator Beneficii, & de propriis bonis illud erigat cum reservatione Jurispatronatus pro se, & sua familia, non potest auctorizare hanc erectionem, quia partes Judicis, & Fundatoris in examinando illarum justitiam sustinere non valet. *Rot. decis. 22. num. 9. post Monacell. formul. legal. tom. 2.*
- 2 Et quidem hujusmodi consensus requiritur  
Pars II.

tur non solum ad acquirendum Juspatronatus activum, verum etiam passivum. *Rot. in Vaden. Canonicatus 30. Junii 1704. S. Secus coram bon. mem. Reverendissimo Molines.*

Unde quæritur in hoc Casu; Primò -- Quando hujusmodi consensus intervenire debeat?

Secundò -- An tacite inducatur ex admissione presentationum, seu ex institutionibus factis per Episcopum.

Tertiò -- An Episcopus compelli possit ad consentiendum.

Quartò -- An præstari possit per inferiorem?

- 3 Quoad primum censeo consensus Ordinarii intervenire debere, vel in actu constructionis, foundationis, & dotationis Ecclesie, vel ex post, & tunc quando intervenit, acquiritur Juspatronatus. *Barbos. in hoc Can. XXVIII. num. 2. Gonzal. num. 2. Roch. de Curt. de jurepat. verb. pro eo num. 2. Lambertin. eodem tract. lib. 1. par. 1. qu. 2. art. 12. Garz. de benef. par. 5. cap. 9. num. 72. Rot. decis. 727. num. 8. coram Ubaldo, & in Tuden. Cappella 23. Januarii. 1705. S. Neque obstat coram Eminentissimo Scotto.*

- 4 Episcopus autem pro præstatione consensus in reservatione jurispatronatus, & in fundatione Ecclesiarum, & beneficiorum non potest tamquam ex debito aliquod munus exigere à Fundatore, juxta Textum expressum in *Can. placuit 1. qu. 2. ibi -- Placuit ut quoties ab aliquo Fidelium ad Consecrandas Ecclesias Episcopi invitantur, non quasi ex debito munus aliquod à Fundatore requirunt, sed si ipse quidem aliquid ex suo voto obtulerit, non respiciant: Si verò aut paupertas illum, aut necessitas retinet, nihil exigatur ab illo. Hoc tamen unusquisque Episcoporum meminerit, ut non prius dicat Ecclesiam, nisi antea dotem Basilicam, & obsequium ipsius per donationem chartula confirmatum accipiat; Nam non levis culpa est ista temeritas, si sine luminariis, vel sine substantiali sustentatione eorum, qui ibidem servituri sunt, tanquam domus privata, consecretur Ecclesia --*

- 5 Quoad secundum; Hujusmodi consensus requisitus ad acquisitionem jurispatronatus tacite induci ex admissione presentationum, & ex institutionibus factis per Episcopum simpliciter, & indistincte

Dddd 2 do-

docent *Card. de Luc. de jurepat. disc. 55. num. 10. Adden. ad Buratt. decis. 1. nu. 26. Rot. in Aquen. jurispatronatus 7. Novembris 1601. coram Cardinali Lancellotto impress. apud Marchesan. de commiss. par. 1. pag. 454. contrarium tamen tuetur Salgad. labyrinth. Credit. tom. 4. de libert. Benefic. & Capell. recup. art. 13. inter cætera motus ea ratione, quia non obstantibus præsentationibus, & institutionibus factis potest Episcopus quodcumque agere de libertate beneficii; Si autem ex admissione præsentationum, & ex institutionibus tacite induceretur supradictus consensus; non posse Episcopus, de hac libertate amplius agere; igitur ex illis tacite non inducitur dictus consensus. Nec acquiritur proprietas jurispatronatus, quamvis acquiratur quasi possessio præsentandi; concludit tamen præfatos Doctores esse intelligendos quando admissionem præsentationum præcessit plena causæ cognitio super ipsa jurispatronatus existentia.*

- 6 In ordine ad tertium, indubitata est Doctorum opinio, quòd Episcopus compelli possit ad consentiendum si sine justa causa nolit consentire tum per Archiepiscopum, tum per Pontificem, *Abb. conf. 59. num. 3. Lambertin. de jurepat. lib. 1. par. 1. quest. 2. art. 16. & seq. Amstaz. de Caus. piis lib. 5. cap. 5. n. 39.*
- 7 Denique ad quartum respondeo; quòd Abbas, & quilibet alius Prælati inferior potest præstare hujusmodi consensum, & vigore illius acquirere Juspatronatus in Ecclesia, dummodò habeat Jurisdictionem Episcopalem, seu Diocesanam. *Abb. conf. 59. num. 3. S. Tertio principaliter, Lambertin. de jurepat. lib. 1. par. 1. q. 2. art. 14. Garz. de benef. par. 5. cap. 9. num. 71. Amstaz. de caus. piis lib. 5. cap. 5. num. 38. Tamburin. de Jur. Abbat. disp. 9. quest. 21. nu. 3. Rot. decis. 85. par. 2. divers.*
- 8 Vicarius Generalis Episcopi potest præstare huiusmodi consensum, dummodo habeat ab Episcopo speciale mandatum, secus si habeat solum generale mandatum, quia præstare hujusmodi consensum est de majoribus, quæ non transeunt cum generali mandato, *Calderin. de offic. Vicar. conf. 3. Garz. de benef. par. 5. cap. 9. num. 75. Vivian. de jurepat. par. 1. lib. 2. cap. 1. nu. 10. Gratian. discept. 303. num. 12. Amstaz. de*

*caus. piis lib. 5. cap. 5. num. 36. Card. de Luc. de jurepat. disc. 55. num. 5. At si Vicarius absque dicto speciali mandato erigeret beneficium cum reservatione Jurispatronatus; talis erectio, & reservatio sustineretur, si Episcopus eam approbaret, & ratificaret. Rot. decis. 865. num. 3. & 4. coram Ubald.*

- 9 Capitulum sede vacante potest præstare hujusmodi consensum, quia succedit Episcopo in jurisdictionalibus. *Calderin. conf. 3. de jurepat. Garz. ubi supra num. 79. Vivian. ubi supra num. 15.*

### ARGUMENTUM.

Consensus Episcopi an requiratur in fundatione, constructione, aut dotatione Cappellaniarum merè laicalium, necnon Hospitalis, aut Collegii ad effectum acquirendi in eis Juspatronatus, seu jus præsentandi?

### SUMMARIUM.

- 1 Dignitates in Cathedralibus an, & quando possint admittere, & acceptare fundationes Missarum, & Anniversariorum absque consensu Capituli; & num. 5.
- 2 Fundatio Cappellaniæ merè laicalis, seu legati Missarum adimplendi per Regularem in Ecclesia Seculari absque hujus Rectoris consensu est nulla.
- 3 Ad effectum acquirendi Juspatronatus, seu jus nominandi in Cappellaniis, Hospitali, aut Collegio merè laicalibus non requiritur consensus Episcopi.
- 4 In erectione Cappelle, aut Oratorii an sint servanda solemnia præscripta in Can. Nullus, & Can. Nemo de consecrat. dist. 1. ad effectum, ut ibi celebrari possint Missæ?

### CASUS III.

Ordinavit quidam pius Testator in ejus postremis tabulis celebrationem Missæ quotidianæ, seu Cappellaniæ merè laicalem cum onere Missarum in quadam Cappella erecta prope Ecclesiam Cathedrali de hujus dominio cum solo consensu Præpositi ejusdem Cathedralis, dissentiente irrationabiliter tamen Capitu-